



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sectio I. De Obiecto materiali Logicæ, vbi de modo sciendi formali & obiectiuo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

et Deus nequeat habere de eodem obiecto duas scientias simplicis intelligentiæ, vnam practicam, & alteram speculatiuam, potest tamen vnam habere simplicis intelligentiæ, alteram verò visionis: hæc est speculatiua, illa verò practica. Vnde hoc exemplum meam conclusionem apprimè declarat.

Dices Primò, Fortè essentia & existentia distinguuntur, ergo non habebunt idem obiectum illarum scientiarum. Hoc non potest ab aduersariis dici, qui meritò existentiam ex parte obiecti omnino identificant cum essentia. Secundò, do illis existentiam ab essentia distinguere; certè illam existentiam, quæ iam videtur, & consequenter ex visionis non potest produci, illa eadem potuit cognosci abstractiue, antequam produceretur; quia etiam cognita est possibilis. Ecce iam eadem existentia dantur duæ cognitiones, vna abstractiua, quæ est practica; altera verò intuitiua, quæ, quia iam supponit suum obiectum existens, est speculatiua.

Dices secundò, implicare, idem obiectum ab eadem potentia simul esse factibile, & non factibile; ergo repugnat, simul esse de eodem obiecto duas cognitiones, aliam speculatiuam, alteram

practicam. Respondeo facillè, non repugnare illo modo, ab eodem principio idem obiectum esse factibile per vnam cognitionem, & non esse factibile per aliam distinctam: ab eadem enim animâ, vel intellectu, idem obiectum est iudicabile per iudicium, & non iudicabile per apprehensionem; est amabile per voluntatem, & per intellectum non est amabile: & talia sunt innumera exempla. Ratio à priori est, quia eo ipso quod fit comparatio ad distinctas realiter cognitiones, iam cessat omnis contradictoria oppositio, quæ semper est eiusdem de eodem, pro eodem loco, &c. In eodem quidem actu indiuisibili creato, de eodem obiecto, id fortè argueret contradictionem. Dico, *creato*: quia in diuinis, propter distinctionem virtualem quæ ibi reperitur (de quâ alibi) realiter identificantur scientia visionis, & scientia simplicis intelligentiæ; & vna est speculatiua, altera practica, quia vna supponit existentiam obiecti, altera eam antecedit, & ad illius productionem dirigit: hanc autem antecessorem & posterioritatem respectu eiusdem obiecti, non potest habere idem actus creatus, cui non possunt duo contradictoria prædicata, quæ illa essent, conuenire.

DISPUTATIO SECVNDA.

De Obiecto Logica.

DISPUTATIONE precedenti incipimus fundamenta ex principiis communibus obiecti & scientiæ, ut sic ad ea, quæ de Logica dicturi sumus, deueniamus; vnde ea oportet præ oculis habere pro Disputationibus sequentibus.

SECTIO I.

De Obiecto materiali Logica, vbi de modo sciendi formali & obiectiuo.

DISPUTATIONE I. num. 1. dixi Logicam esse scientiam, quæ versatur circa directionem actuum intellectus, ut eos sine errore exercemus: è quibus duo inferuntur. Primum est, principale obiectum Logicæ esse actus intellectus; Secundum, res quæ per illos actus cognoscuntur, aliquo modo esse obiecta Logicæ: quæ duo explicanda nobis sunt in hac Sectione.

Toletus quæst. 5. prææmiali, Rubius quæst. 6. cum Dialecticis communiter docent, res esse obiectum materiale Logicæ. Per res intelligo ea omnia, quæ sunt obiecta actuum intellectus; & consequenter ipsos etiam actus, quatenus & ipsi reflectè cognosci possunt. Verum quia Disputat. 1. num. 3. duplex assignauit obiectum materiale, aliud remotum, aliud proximum; idè oportet nunc explicare, quo sensu res sint obiectum materiale Logicæ.

SVBSECTIO PRIMA.

Res sunt obiectum materiale proximum Logica.

HVIC difficultati respondeo, res attingi à Logica ut obiectum materiale proximum, quia verè in se attinguntur, saltem in obliquo. Nam qui dicit, *definitio est oratio explicans naturam rei*, necessariò cognoscit ibi rem, cuius natura dicitur explicari per definitionem: sicut qui dicit, *animal est principium sensationis*, necessariò cognoscit sensationem, quia in ordine ad illam definit animal. Dixi, *res attingi in obliquo*, non verò directè, & in recto: nam attingi in recto, est in propositione poni in Nominatiuo; in obliquo verò, est poni in alio casu.

Sed dices, Quando video cathedram, obiectum formale quod in se videtur, est forma ipsa, & tamen hæc vox *cathedra* significat in recto materiam, & in obliquo formam; malè ergo dicitur obiectum materiale esse quod significatur in obliquo. Respondeo, in obiectione committi æquiuocationem: arguitur enim à visione ad conceptum significatum per vocem *cathedra*. Visionem fateor formaliter terminari ad formam, idè respectu visionis sola est in recto obiectum: imò materia neque in recto neque in obliquo est obiectum visionis, nisi denominatiue. Per hoc autem non impeditur, ne vox, ab hominibus ad significandum concretum inuenta, significet in recto materiam, in obliquo verò formam. Et idem sæpè contingit respectu diuersorum obiectorum. Hoc posito, quando dico, *definitio est oratio naturam rei explicans*, in recto pono definitionem & orationem explicantem; natura autem rei

positur in obliquo. Eodem modo in exemplo supra posito, *animal est principium sensationis, animal & principium* cognoscuntur in recto, quia ponuntur in Nominativo; *sensatio* verò, quia ponitur in alio casu, cognoscitur in obliquo. Quod aliis vocibus explicari solet, ut *cognosci in recto*, sit cognosci ut obiectum formale; *cognosci verò in obliquo*, sit cognosci ut terminum obiecti formalis, seu ut obiectum materiale. Logica ergo præcipue agit de actibus intellectus: sed quia de his non potest, quin simul attingat res ad quas ipsi actus dicuntur essentialem ordinem, inde fit, res attingi quidem à Logica ut obiectum materiale proximum, non tamen propter se, sed in obliquo, & ut terminum actuum intellectus.

Petes, an omnes actus Logici attingant res modo prædicto. Respondeo negativè, ut in hac cognitione, *terminus est extremum propositionis*: ecce hic nulla fit mentio rerum, neque in recto neque in obliquo, ergo non omnes actus Logici attingunt res etiam in obliquo.

Obiicies contra præcipuam conclusionem, ex ea sequi, tot esse Logicas specie differentes, quot sunt res cognitæ, quia Disputatione præcedenti diximus, etiam ab obiecto materiali proximo diversificari scientias; ergo si res sunt obiectum materiale proximum, tot erunt diversæ Logicae, quot sunt res diversæ. Nego sequelam, quia Dialectica non attendit per se, an definitio vel argumentatio sit circa hominem, an circa leonem, an circa Angelum: aequaliter enim tradit regulas ad definiendum in hac vel in illa materia; dignoscere autem in particulari definitiones, divisiones, &c. pertinet ad particulares scientias, ut instrumentas præceptis Logicis.

4 Vel, si vis, aliter responde, Logicam habere pro obiecto definitionem omnium rerum, neque unum actum aut habitum Logicae esse, qui agat de definitione hominis, alium de definitione leonis, &c. Vnde ex varietate rerum non possunt habitus Logici inter se distingui, quandoquidem quilibet habet pro obiecto materiali omnes res. Quando enim datur doctrina de definitione verbi gratia, diciturque *est oratio explicans naturam res*, perinde est, ac si diceretur, explicans naturam rei, quaecumque illa sit, siue Deus, siue Angelus, siue homo, siue Chimæra.

SUBSECTIO SECUNDA.

Res non sunt obiectum formale Logicae.

ANTEQUAM ulterius pergam, volo notare, nonnullos recentiores defendere, solas res esse obiectum formale quod Logicae, & quod ab ipsa intenditur, dirigi & ordinari. Audiui ego ipse eos id propugnantes non semel aut bis, sed semper cum dedecore recedentes. Semel enim cum virgerentur, Ergo Logica non agit, quomodo intellectus debeat dirigi ad efficiendam definitionem, vel divisionem, de homine, leone, &c. sed quomodo debeat dirigi in se afinus, vel mulus, vel mus; debere nolentes volentes cedere consequentiâ, quâ solâ ostenditur, illos Auctores non considerasse quid dixissent. Et sæpe in talibus sententiis non est necessaria alia impugnatio, nisi terminorum explicatio. Et ut clarius, quam sit ridicula, appareat, non oportet honesta exem-

pla ponere de Deo, de Angelis, de homine, sed de alino, mulo, mure, &c. etiam in præsentis factis absolum per se apparet, dicere Logicam agere de dirigendo Deo, vel Angelo: quomodo enim Deus vel Angelus à me potest dirigi? vel an Logica est præfecta stabuli, cui sit commissa cura de equis, mulis? an bubuleus, aut opilio? Constat ergo, Logicam non dirigere res ipsas villo modo, sed solos actus intellectus, & hos esse obiectum formale Logicae. Hac contra recentiores nonnullos.

Alij verò cum in re videantur à verâ scientiâ non discedere, modo tamen loquendi aliquantulum questionem hanc intrincant. Concludunt enim, adequatè obiectum formale esse modum sciendi formalem, & obiectivum. Modus sciendi formalis est ipsa definitio, divisio, &c. obiectivus verò sunt res per definitionem, divisionem, &c. cognitæ & denominatæ. Bene autem prius ostendunt, modum sciendi obiectivum in ratione talis constitui formaliter, per modum sciendi formalem; sicut color in ratione visus constituitur per visionem. Ex hac doctrinâ videtur prior impugnata: quia sicut est idem agere de colore ut viso, ac agere de visione coloris; ita similiter idem erit agere de modo sciendi obiectivum ut tali, ac agere de modo formali, id est de actibus, à quibus ille obiectivus in ratione talis denominatur.

Confirmo hoc idem: quando Deus dicitur amare, & complacere in cognitione suâ de peccato, non potest verè & realiter propriè dici, eum complacere in peccato ipso, quod est obiectum illius cognitionis. Quod si dicatur, *Deus complacet in peccato ut cognito*, per hanc reduplicationem solum significatur, complacere in peccati cognitione: ergo similiter, quando dicitur, *Logica considerat res ut definitas, divisas*, &c. solum significabitur eam considerare definitionem, divisionem, &c. Idem est, quando dico, *album ut album disgregat visum*. facit enim hunc sensum, Albedo disgregat visum. Vbi adverte contra eosdem, etiam si (ut dixi Disputat. I. Summularum, à num. 64.) concreta hæc, si significant in recto subiectum, in obliquo verò formam, quando absolute ponuntur; quando tamen reduplicatiue usurpantur, verbi gratia, *album ut album non est dulce*, non reduplicare supra subiectum (quia subiectum semper est idem) sed solum supra formam; & idem est ac dicere, *albedo non est dulce*: similiter quando dico, *album ut album disgregat visum*, seu terminat immediate visionem, idem est ac dicere, *albedo disgregat & terminat visum*. Ideo in illis reduplicationibus forma, non subiectum ponitur in recto; ergo quando dico, *res ut definita consideratur à Logico*, idem est ac dicere, *definitio rei consideratur à Logico*.

Sed obiiciunt hi Primò, rectè posse ex subiecto & formâ constari unum obiectum formale alicuius actus: sicut quando homo amat sibi sanitatem, & sanitas & ipsum subiectum sunt obiectum formale illius actus, unum ut *finis cuius*, alterum ut *finis cui*; ergo ex cognitione, & ex re cognitâ, resultabit etiam unum integrum obiectum formale. Respondeo, à me non probatum, res non esse obiectum formale Logicae, ed quod non possit unum obiectum constari ex formâ & ex subiecto. vnde frustra defudant in probandâ eâ propositione.

Ego

7 Ego inde meam Conclusionem probo, quia res per accidens & impertinenter se habent ad Logicam, quæ non curat nisi definitionem hominis, non hominem, nisi ad summum vt definitum, quod, vt dixi, solum est curare definitionem illius. Ecce miror, hos non recordari, hic à se contra P. Rubium bene obseruatum, actiuam actuum directionem, à quâ denominantur obiecta, per se primò spectare ad Logicam; quia ideò volumus rem à nobis esse scitam, vt sit in nobis scientia de tali re: quod enim volumus, est, intellectum perficere Dialecticis præceptis, ne errer, siue vt sit sciens, quod per solos actus præstatur, non per obiecta illorum. Hinc autem consequenter Logica vult, vt obiectum sit secundum rationem cognitum: vnde potius actiua directio spectat ad Logicam, quàm passiuā. Hæc omnia sunt verba horum, quæ valde approbo. Iam autem in hoc loco à nobis impugnato docent, æquè primò & per se ad Logicam obiecta ipsa, siue res, quàm definitionem, diuisionem & argumentationem spectare, & vtrique æquè primò vnum obiectum formale constare; quæ duo inter se valde opponuntur.

SUBSECTIO TERTIA.

Obiectiones solutæ.

Vrgent hi, Ex visione beatâ, & Deo, qui est illius obiectum, constatur vnus finis totalis noster; ergo similiter in scientiis ex obiecto, & cognitione de illo, formabitur vnum obiectum formale, seu finis scientiæ. Hæc obiectio, & falsè innuitur principio, & conclusionem infert absurdam: quis enim vnquam dixit, finem intentum à Physicâ esse asinum, vel mulum, aut murum, aut stercus (pareant honestæ aures. pono enim talia exempla, quia aliâ non noscitur sententia falsitas) etiam si per se intendat cognitionem de his obiectis? Similiter in Theologiâ, quis dicit finem Theologiæ esse peccatum, & cognitionem illius, quantumuis cognitio de peccato appetatur? Vnde aduerte, ex visione beatâ & Deo ideò constare vñ finem, non præcisè quia Deus est obiectum vtrumque visionis beatæ (aliâs qui amat odium de peccato, vel cognitionem de illo, faceret sibi vñ finem totalem ex peccato, & odio, vel scientiâ, quod est ridiculum:) sed quia visio beatâ est possessio intentionalis Bonitatis diuinæ, ratione cuius Bonitas illa recreat beatque hominem; quod non potest de quolibet obiecto dici, vt per se notum est. Nam in aliis cognitionibus, quæ non ex delectabilitate obiecti, sed propter se appetuntur, non potest fieri vnus finis ex cognitione & ex obiecto. Sic amatur cognitio de Chimærâ, non amatur Chimæra, quæ secundum se non potest causare delectationem. Sic amatur cognitio de asino vel stercore, & non amatur asinus vel stercus. Idem in peccato, &c. Et in vniuersum id in totâ scientiâ Philosophiæ puto verum: & in Logicâ eodem modo, quæ appetit scire modos definiendi asinum, non autem appetit, nec est de asino sollicita.

9 Et mihi hæc res tam clara videtur, vt mirer, postquam termini explicantur, ab aliquo negari. Immo ipsi alibi docent, ex visione albedinis, & albedine, non fieri vnum obiectum; nec albedi-

nem dici visionem obiectiuam, sed id speciale esse in modo sciendi: iam autem hic tradunt doctrinam vniuersalem ad omnem cognitionem cum suo obiecto, quod non dicitur consequenter, vt per se patet.

Dices tertio: Logica considerat definitionem conuerti cum suo definito, & esse idem inter se: hoc autem non conuenit ipsi actui definitionis, sed soli obiecto, quia actus definitionis realiter distinguitur ab actu definiti; ergo saltem respectu harum cognitionum sunt obiectum formale res ipse. Idem argumentum fit in his prædicatis, genere, specie, &c. quæ considerantur per se à Logicâ, non autem conueniunt actibus, sed rebus ipsis. Respondeo, Logicam non considerare directè & immediatè identitatem definitionis obiectiuæ, & definiti obiectiui, sed solum hoc modo, *definitio bona debet significare idem prorsus, quod significat definitum, clarior tamen modo.* Hæc est propria cognitio Logica, in quâ directè, formaliter, & immediatè solum fertur ad actus ipsos definitionis & definiti; materialiter autem, & in obliquo (vt dixi suprâ) ad res ipsas: illa autem cognitio, quâ directè consideratur & immediatè identitas obiecti definitionis & definiti, in se non est propriè Logica, licet nos, quia ad intentum Logicæ hæc cognitio æquiualeat illi priori, eam vsurpare consueuerimus.

Ex hac autem diuersitate fit, vt in vnâ cognitione obiectum formale sit solus actus definitionis, in aliâ verò res ipsa; quod valde immutat statum nostræ quæstionis. Ad exemplum secundum de prædicatis, *generis, speciei, &c.* etiam facillè respondeo, licet ea prædicata solum conueniant rebus ipsis, formam tamen à quâ proueniunt, esse cognitionem intellectus, & hanc solum considerari per se à Logicâ: sicut licet denominatio visi non conuenit visioni, sed obiecto, vt per se notum est; agere tamen de obiecto vt viso, idem est, ac agere de visione ipsâ: similiter qui agit de perspicillis, quibus videntur colores, non agit formaliter de coloribus visis, neque hi villo modo dici possunt obiectum formale illius. In formâ autem respondeo, prout paulò antè dixi de definitione, Logicam scilicet directè habere hunc actum, *conceptus genericus debet representare plura specie diuersa, quatenus ea inter se conueniunt*, & sic proportionem seruata de aliis conceptibus: hæc autem cognitio habet pro obiecto formali solum ipsam cognitionem, pro materiali verò, licet proximo (iuxta dicta suprâ) res ipsas; sicut quando Beatus cognoscit Deum esse productiuum creaturarum harum & illarum, &c. obiectum formale est solus ipse Deus, creaturæ autem, licet distinctè cognoscantur (vt & aduersarij docent) solum sunt materiale obiectum. Nec video, quo differant, quoad hoc, hæc duæ cognitiones, *Deus est productiuus hominis, definitio de homine est representatio essentia hominis*; in vtraque enim æqualiter homo cognoscitur in obliquo, & vt terminus obiecti formalis.

Vrgent adhuc aliqui, Primò, genus dicit in recto res, in obliquo verò cognitionem; ergo iuxta meam sententiam, res sunt obiectum formale Logicæ, & cognitio obiectum materiale. Sed facillimè respondeo, à Logicâ non considerari genus, sed genericitatem; sicut scientia agens de coloribus, non habet pro obiecto album, sed albedi-

albedinem: potest autem contingere, ut respectu unius actus, una res sit obiectum formale, materiale verò respectu alterius. Suprà etiam ostendi, cognitionem Logicam non dicere, *genus est res cognita conceptu confuso*, hinc enim ponitur in recto res, sed *cognitio generica est representatio confusa plurium dissimilium*, &c. Hæc cognitio non tangit res in recto, & formaliter, sed in obliquo.

Urgebis secundo: Logica tradit regulas de materia probabili; ergo res formaliter pertinent ad Logicam. O qualis consequentia! Numquid probabilitas est in rebus ipsis, an in solâ cognitione? ergo Logica, non quia agat de probabilitate, agit de rebus, sed potius de cognitione probabili. Quod si aliquando videtur agere de connexionione essentiali, aut contingente, tenente se ex parte obiecti, tunc eodem modo dicendum est, eam non agere nisi de actibus representantibus eam connexionem, aut contingentiam: quod in simili suprà dixi de illâ cognitione, *definitio convertitur cum suo definito*, & de genere, & de specie, &c.

12. Tercio: Hoc complexum definiti, diuisi, &c. est considerabile per se, & pertinet ad aliquam scientiam, non ad aliam, quam ad Logicam; ergo ad illam. Respondeo Primò, non omnia, quæ de facto possunt cognosci, pertinere ad aliquam scientiam: dicant enim mihi ipsi, ad quam scientiam pertineat hoc complexum, *odio habitum vel visum*, &c. Secundo dico, ex hac obiectione à me erui nostræ sententiæ confirmationem manifestam; quia in hoc complexo est res ipsa definita secundum se: hæc (per te) non consideratur à Logicâ, sed definitio ipsa; quam fateor tibi ad Logicam pertinere formaliter. Sed tum insuper postea inuestigandum, in quo consistat ea denominatio, an sit extrinseca, an intrinseca; an fiat per productionem, aut resultantiam alicuius relationis realis, vel rationis. Hæc autem omnia sunt extra considerationem Logicam in omnium sententiâ: neque enim Logica considerat, quid sit denominatio extrinseca, quid intrinseca, & similia, id enim ad Metaphysicum spectat. Vnde Logica solum considerat definitionem rei, siue ex eâ resultet obiectum dici definitum, siue non. Vnde si per impossibile ea denominatio non resultaret, in obiecto eodem modo illa ageret de definitione illius; ergo ad eam non spectat disquirere, in quo consistat ea denominatio. Nihil autem aliud est in eo complexo *definitum* considerabile, ut per se patet; ergo illud, ut tale, non pertinet ad Logicam, nisi quâ parte includit definitionem, modo à nobis explicato.

13. Dicendum ergo, omnibus ablatis confusionibus, & terminis modisque loquendi, à Logicâ solum in recto formaliter & immediatè considerari actus intellectus; res autem in obliquo, & ut obiectum materiale, seu tamquam terminum extrinsecum earum cognitionum: & nec quidem ut sic distinctè agi de rebus in particulari, sed solum in communi sub conceptu generalissimo rei, etiam prout abstrahit à re fictâ, à negatiuâ, & positiuâ; quod ex dictis satis clarè constat, estque communis antiquorum sensus, etiam si nonnulli recentiores terminis abutentes contrarium doceant.

Vniuersaliter autem moneo, Prædicamenta, & Prædicabilia, ut sunt obiecta Logicæ, supponi

pro actibus, quibus cognoscuntur & prædicantur, non pro ipsis naturis rerum quæ prædicantur: & hinc ortum traxit commune proloquium, scilicet, *universale Logicum esse universale in prædicando*, *Metaphysicum verò in essendo*: quia Metaphysica agit de ipsis rebus, Logica verò de modo eas cognoscendi & prædicandi inter se, non verò de rebus ipsis prædicatis. immò etiam si hæc habeant aptitudinem ut prædicentur, de illâ tamen non agit per se Logica, sed in obliquo.

SECTIO II.

Ens rationis excluditur ab obiecto Logica.

ENS rationis accipi potest vel pro actuali intellectione, seu cognitione. Cum enim intellectus soleat vocari communiter *ratio*, meritò eius actus dicuntur *entia rationis*, id est, entia intellectus. Secundo potest accipi pro re non habente esse à parte rei, sed quæ fingitur habere ab intellectu: ut si ego conciperem calum aureum, & lunam argentæam, calum aureum & luna argentæa essent entia rationis; quia cum verè non habeant esse à parte rei, habent illud ex fitione mei intellectus: quâ ratione omnia mendacia possunt quodammodo dici entia rationis. Item, quando intellectus tenebras, mortem, cecitatem, & alias negationes & priuationes concipit perinde ac si verè essent entia realia, fingit entia rationis, quia tribuit esse eis rebus, quæ potius sunt carentia esse. Hæc entia conficta sunt, quæ iam communius vocantur inter recentiores *entia rationis*; & de his præsens disputatio instituitur.

De entibus enim rationis, prout in primâ acceptione significant actus intellectus, nulla est difficultas, quin sint obiectum formale Logicæ. Nec etiam disputamus, utrùm entia rationis sint obiectum materiale Logicæ, hoc enim certum est ex Sectione præcedenti: quia cum entia rationis definiri, diuidi, & demonstrari queant, (ob quam solam rationem diximus, entia realia esse obiectum materiale Logicæ) idem etiam dicendum videtur de entibus rationis fictis, & suprà etiam dixi, quando de definitione dicitur, *est oratio explicans naturam rei*, rem ibi accipi pro re siue verâ siue falsâ, siue negatiuâ siue priuatiuâ, siue fictâ siue reali: inquirimus ergo præcisè de ente rationis, an sit obiectum formale Logicæ, nec ne.

Sotus, Tolerus, & Thomistæ communiter a- 15
pud P. Hurtadum Disputat. I. §. 45. censent, adæquatum Logicæ obiectum esse ens rationis, non quidem in totâ suâ latitudine (neque enim tenebræ, cecitas, aliæque negationes, & Chimæræ, quæ sunt entia rationis ab intellectu conficta, considerantur à Logicâ,) sed tantum ea entia rationis, quæ resultant in rebus, eò quòd ab intellectu definiuntur, diuidantur, &c.

Ibidem idem Hurtadus benè ostendit, Tolerum, Sotum, & alios communiter, nomine *entia rationis* intelligere non quidem ens fictum, sed denominationes definiti, diuisi, generis, speciei, & similes, quæ sunt extrinsecæ rebus; proueniunt enim illis à formis extrinsecis, id est ab actibus intellectus, & vocari solent *secundæ intentiones*.